



Tom: LXVI. Miscell:

~~G. H.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

17-18. VITEBERG.

SIGNAT. 1515 CCCXIII.

hh)

# PROGRAMMA PENTECOSTALE,

In quo remotis peregrinis,  
vera sententia de septem spiritibus  
Apoc. 1. v. 4. in honorem SPIRITVS  
SANCTI proponitur

RECTOR & SENATUS ACA-  
DEMIÆ REGIOMONTANÆ

ANNO reparata Salut.

M. D. C. XXXV.



Typis Laurentij Segebadij.

**H**odiernam solemnitatem in præcipuis festis  
esse venerandam ; omnium Christianorum  
corda agnoscunt : Nec dubium est, quanta huic  
Festo reverentia tribuatur, quod *Spiritus San-*  
*ctus excellentissimo sui muneris miraculo*  
*consecravit.* Ab illo namque die, quo Dominus  
super omnium cœlorum altitudinem ad Dextram Dei Pa-  
tris confessurus ascendit, decimus est iste, qui ab ejusdem Re-  
surrectione *Quinquagesimus* nobis in eo, à quo cœpit, illu-  
xit, magna Mysteria in se continens, & Veterum Sacramen-  
torum & Novorum ; quibus manifestissimè declaratur, &  
Gratiam prænuntiatam fuisse per legem, & legem impletam  
esse per gratiam. Hodie na die Christus Dominus Diabo-  
licum post Triumphum, residens ad dexteram Patris, disci-  
pulis dona largitus est, *Spiritus S. cœlestia munera.* Ab hoc  
die Tuba Evangelicæ prædicationis intonuit : ab hoc die  
imbre charismatum, flumina benedictionum, omne deser-  
tum, & universam aridam rigaverunt. His, aliisque docu-  
mentis, quibus innumerabiliter divinorum Eloquiorum  
coruscat auctoritas ; ad Venerationem Pentecostes unani-  
miter incitemur, exultantes in honorem *Spiritus S.* per  
quem omnis Christianorum Ecclesia sanctificatur, omnis  
anima rationalis imbuitur ; Qui inspirator fidei, Doctor  
scientiæ, fons dilectionis, signaculum castitatis, & totius est  
caussa virtutis. Ac ne nos etiam nostro videamur deesse of-  
ficio, in honorem *Spiritus S.* arduam illam, & difficilem  
*B. Iohannis Theologi* appreciationis formulam Apoc: c. I. v.  
4. quâ septem *Spiritus adorabundus* invocat, septemque Ec-  
clesiis pacem & Gratiam ab ipsis optat, piâ meditatione ex-  
pendere nobiscum constitimus: ubi remotis variis, hisque à  
mente & scopo *Spiritus S.* alienis sententiis & interpreta-  
tionibus, tandem genuinum assignatur sumus sensum.

Sic autem habent verba d. I. Apoc: I. v. 4. *Gratia vobis*  
*& pax ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est, & à septem*  
*Spiri-*

*Spiritiibus, qui in conspectu ejus Throni sunt: v. 5. Et à Iesu Christo, qui est Testis fidelis, primogenitus mortuorum, &c. Ubi mentione ejus, qui est, & qui erat & qui venturus est v. 4. intelligit B. Iohann: Deum Patrem: quid verò septem Spiritus introducendo, eosq; intra Deum Patrem & Deum Filium collocando sibi velit? non omnes Interpretes mentem Spiritus S. affecuti sunt, ac proinde in diversas sententias divisae abeunt.*

*Quidam inter Pontificos per septem Spiritus intelligunt Spiritus creatos, eosq; Angelos: ideoq; hinc colligunt Angelorum invocationem esse licitam, quâ in parte provocant ad exemplum B. Iohann: h. l. is namq; ex ipsorum mente ab Angelis precatur Ecclesiae gratiam & pacem, eosq; adeò facit consortes uti largitionis donorum, ita invocationis DeoPatri & Filio cōmunis. Ita sentit Blas. d. Viega super b. l. Francisc. Ribera. Nicol. Serar. coōmentar. lib. 4 super Ios. c. s. quæst. 40. & super Apoc. h. l. Beccan. lib. de invocat. Sanct. Cornel. à lapid. super b. l. & super Zachar. c. 3. v. 9. Gabriel Vassuetz tom. II. super Thom: part. I. disputat. 180. num. 3. & disput. 244. num. 4. Argumentum hinc desumit, opinione suâ, invictum pro Angelorum invocatione Petrus Cudsemius in desperata Calvini causa edit. A. 1609. Mogunt. p. 132. Coxiterum multa obstant, quo minus hanc papisticam Glossam admittamus: 1. Namq; sic competet Angelis cultus latræ, dum statuuntur assumi in consortium largitionis donorum spiritualium, & invocationis: qui tamen non nisi soli Deo competit, fatente Bellarm. lib. 1. de B. S. cap. 12. 2. Quia bona spiritualia, nullibi ab Angelis conferri dicuntur in verbo Dei. ideoq; quia superant vires creaturæ, fatente iterum Bell. l. 1. a. S. B. c. 17. inter quæ Pax superat omnem intellectum adeoq; Angelicum Philipp. c. 4. v. 7. 3. Quia Angeli ut spiritus creati nullibi inter Deum Patrem, & Filium collocantur, in formula invocationis, uti quidem hēic septem spiritus referuntur inter primam, & secundam Dei-*



tatis personam. 4. Quia juxta Pontificiorum dogma, sancti Beati, sive etiam Angeli non sunt invocandi seu largitores bonorum, ut nobis vel gloriam vel gratiam & alia (v.g. pacem) media concedant. *Bellar. lib. 1. d. S. Beat.* c. 17. 5. Quia doctiores & cordatores Pontificij ab hac sententia divorcium faciunt, eamque inter reliquos impugnavit argumentis octo *Ludovicus ab Alcasar in commentar. super hunc locum*: quae apud auctorem videri poterunt, quae etiam bona fide producit *M. Frideric Sengebhar. tract. circum. p. 38.* ac adversa partis exceptiones ex *Alcasare* docte refutat.

Secundo alij per septem spiritus intelligunt Angelos ministrantes, non itaque adorandos; sed Christo subjectos. Hoc sensu explicat *Andreas Cesar. Capadoc. Episcop.* & cum eo *Arethas in comment. supra Apoc. fol. 640 A.* qui expresse nouit Angelos ministros in communi honore cum Deo locari, sed ad eum modum quo introducuntur i. *Thimot. cap. 5. v. 21.* Hanc sententiam tuerunt Flaccus Illyric. part. 1. clavis scripturae. *Beza in annotationibus majoribus. Leo Judas super Apocal. Aug. Marloratus in commentar. Johann. Alba Carthusian. Centur. animadvers. c. 99.* qui statuit per quandam inversionem B. Johannem locutum esse, ita ut sensus sit: Et a septem spiritibus, qui in conspectu ejus Throni sunt, hoc est, ab eo, in conspectu Throni cuius sunt septem spiritus; quam trahitionem ex aliis Scripturæ S. locis evincit: hanc expositionem non inconcinam existimat *Andreas Rivetus in commentar. super Hose. c. 12. fol. 350. fac. 2.* Hi ergo omnes per spiritus septem intelligunt Angelos Deo subjectos, honoris & cultus divini exhortes. Ast, stante hac explicatione, manet prior difficultas, siquidem Angeli, in appreciationis formula medium inter duas Deitatis personas obtinerent locum. 2. Cultus invocationis esset ad eas directus, quam particula dicitur iterata certe importat; atque ita una opera Angeli largitores bonorum spiritualium essent statuendi. Speciorem

21281

26



morem quidem agnoscimus Iohann: Alb: expositionem , ita  
ut objectum, ad quod adoratio dirigitur sit ipse Deus, non vero  
*Angeli*, obtinente illa trajectione: Vix tamen & haec admit-  
ti poterit, ideo quod cum præsupponat, verbis hisce intelli-  
gi ipsum Christum, cuius tamen mentio, & invocatio sequen-  
ti demum versu 5. subjicitur. 2. Tum quod procedat colli-  
gendo à particulati ad particulare. 3. Tum quod literam  
deserat circa necessitatem. 4. Tum deniq; quod apprecatio-  
nis formulam, in qua objectum distinctè invocationis & cul-  
tus circa ullam trajectionem intelligendum, mutet in vul-  
garem loquendi Scrip. S. morem & consuetudinem. 5. Ac-  
cedit & hoc, quod e j usmodi trajectionem loca parallela in  
sequentibus cap. 4. v. 5. c. 3. v. l. c. 5. v. 6. prorsus re-  
spuant.

*Terzo non defunt, qui septem spiritus interpretentur per septem Virtutes providentiae divinae, vel per septem Dei attributa; in quibus divinæ providentiaz perfectio consistit. Sic ex Pontificis explicat Ludov. ab Alcasar. Hispan. super Apocalyps. ubi simul illas virtutes providentiaz divinæ, illaqz attributa exprimit ceu sunt Fortitudo, Beneficentia, Æquitas, Sapientia, Patientia, Communitatio & Severitas.*

*Quarto per septem spiritus intelligunt quidam septem  
Ecclesiarum Asiaticarum Episcopos vel Presbyteros.*

Quinto nonnulli hanc appreciationis formulam accipiunt de donis spiritus S. quorum mentio fit Esa. c. II. v. 2. referente Aretha super Apocalypſ. Quia verò ista cum peregrinæ interpretationes ab aliis sufficienter refutata sunt; nolumus agere.

Sexto per septem Spiritus ante Thronum apparentes nonnulli intelligunt ipsum Deum in Throno sedentem, adeoq; in specie Dei Filium ceu secundam Deitatis personam, ad designandam ipsius Majestatem. Cujus interpretationis auctor est Andre: Rivetus in commentar: super Hos. c. 12. fol. 350. fac. 2, ubi sic scribit: Addo, aliquando cælum per metony-

miam sumitur pro Deo iuxta illud (Luc. 15.) peccavi coram cœlo. sic non esse à ratione alienum, ut septem spiritus stantes ante Thronum, accipiatur pro sedente in Throno, ad designandam ejus Majestatem. Ita etiam videatur sentire ex veteribus Ambroso. Ansbertus in commentar. super Apocalypf. Sed etiam ab hac interpretatione nos divortium facimus. 1. Siquidem nimirum falso presupposito, sumens septem spiritus, pro ipso Dei filio, quod nimis in certum & controversum est. 2. Ejusmodi permutatio & allœsis est sacris literis in audita, nulloq; exemplo statuminari potest, ut secunda Deitatis persona termino Spiritus septenarij indigetur. 3. Potius contrarium Scripti; S. testatur Esa. 11. v. 2, distinguens inter Christum Dei filium & Spiritum septiformem. 4. Quia in locis parallelis per 7. Spiritus non intelligitur ipse Filius Dei, nec intelligi potest, quia ipsem et Rivetus c. 4. sedentem in Throno statuit esse Dei Filium, de cuius Throno procedere dicuntur septem lampades, quæ sunt septem Spiritus v. 5. Ergo Filius Dei procederet à seipso, si septem spiritus idem essent, quod Filius Dei; quod absurdum. 5. Quia Filius Dei introducitur ut habens septem Spiritus: hi verò, ut qui habentur ab ipso Apocalypf. c. 3, v. 1. c. 5. v. 6. & quidem per modum processionis c. 4. v. 5. quo ipso, differentia realis inter Filium Dei & Spiritus septem, seu per characterem hypostaticum disertè ponitur. 6. Quia Christus, vel Filius Dei Apoc. c. 1. introducitur demùm v. 5. non Exegeticōs, uti Rivoletto videtur, cum Marlorato; sed de quo heic ex professō incipit agere B. Apostolus. 7. Quia particulæ illæ x̄ & dñi, realiter distincta objecta eaq; personalia inferunt adorationis & invocationis. Ingens etiam postulatum est, quod Rivetus pro Concesso sumit, non agi cap. I. Apocalypf. de Deo Patre personaliter, sed de sola Filii Dei persona: Contrarium verò quilibet deprehendet c. I. Apoc. v. 1. 2. 9. Confer Epilog. Apocal. c. 22. v. 18. 19. Neq; etiam ideo negandum est, Deum Patrem intelligendum esse, quando à Iohanne vocatur qui est, qui erat, & qui veniurus est: quod idem



idem Epitheton filius sibi attribuat, ac de scipso usurpet. c. i.  
v. s. Notum enim est, eodem Epitheto Filium Dei insigni-  
ri, quod de Deo Patre efferti solet, ad denotandam veram &  
essentialē Filij Dei Deitatem: sicut etiam Utroq; Nomen  
essentialē θεοῦ est commune, ob communem essentiam. Nec  
insuper veritati consonum est, dum per sedentem in Thro-  
no, vel in sede Majestaticā interpretatur ipsum *Dei filium*  
c. 4. Apocal. v. 3. *Rivetus*, hac in parte *Marlorati* ductum se-  
cūrus: cum potius interpretari debuisse de ipso *Deo Patre*:  
Filius namq; Dei per totum cap. 4. nulla sit mentio; sed po-  
steā is introducitur ceu *Agnus sumens librum clausum sigil-*  
*lisq; obsignatum 7. ē dextra sedentis in Throno h. e. Dei Pa-*  
*tris* c. 5. v. 6. 7. ad aperiendum illum librum, refigendaq;  
ipsius sigilla v. 5. ideoq; dignus judicatus, cui divinus ho-  
nor æqualis sedentis in Throno honori exhibetur cap. 5.  
v. 7. 8. 12. 13. Confer. c. 7. v. 10. 12. 15. 17. c. 11. v. 17. c. 12.  
v. 5. 10. *Vidr.* insuper *Beza* in *Annot.*: *B. Aret.* &c. hac in  
parte *Riveto* & *Marlorato* contradicentes. Deniq; inconve-  
niens exemplum producitur à *Riveto* desumtum à loquen-  
di Spiritus S. more, dum *cælum pro Deo passim usurpatur*  
*Luc. 15.* ex quo colligit ipse: non esse à ratione alienum, ut se-  
ptem Spiritus ante Thronum accipiuntur pro sedente in Throno  
h. e. Dei Filio. Respond. 1. Non statim pro mente Spiritus  
S. attingendum & habendum, quod à ratione minimè alie-  
num esse videtur: Ductum enim rationis, seposito Dei Ver-  
bo, homo Christianus sequens facile errare potest. 2. Extra  
dubitum est. *Cælum sumi pro Deo in sacrissæpissimè, non*  
tantum *Luc. 15.* sed etiam *Luc. 20. v. 4. Matth. 21. v. 15.*  
*Psal. 73. v. 9. Daniel. 4. v. 23. 7. Maccab. 4. v. 10. 24. 40.*  
*vid. Ian. Drus. Proverb. Class. 2. lib. 3. Proverb. 204. p. 299.*  
*lib. 3. præterit. p. 108. & lib. 1. p. 19.* illud vero valde dubi-  
um est, num Spiritus 7. in conspe<sup>Qu</sup> Throni, idem sint ac  
Deus Filius in Throno sedens? cum illi ab hoc distinguan-  
tur per certam differentiam tamq; Charæteristicam, perso-  
nam



nam aliam, atq; aliam constituentem. 3. Concedimus ultrò, per spiritus hoscè intelligi posse ipsum Deum ; negamus verò, cum esse ipsam Filij Dei, aut etiam Dei Patris personam, ob rationes supra allatas.

Septimò Neo-Ariani vel Photiniani tria circa interpretationem hujus voti Apostolici comminiscuntur : 1. à Iohanne modum ac medium duntaxat mentione Spirituum & exprimi, quo Gratiam & Pacem à Deo proficiunt in Ecclesias velit : 2. Atq; ita tacitè Dei ipius, quem priùs nominaverat (h. e. Dei Patris) invocationem repetere Apostolum, ut potè cuius illi primò sint Spiritus, & cui quodammodo ministrent ; 3. Votum hoc propriè ad Deum (Patrem) & Christum referri : impropiè ad Spiritus illos. Ita Iohan: Crell: lib. 1. d. uno Deo Patre seft. 3. argum, 2. p. 368. edit. Racov. A. 1631. Scopus hujus depravationis is unicū est, negare Spiritum S. esse Personam divinam, adeq. cultu invocationis honorandum uti mentem suam aperte prodit Crell. d. l. p. 366. Resp. ad 1. Falsum est, modum quendam & Medium largiendi divinitus Gratiam & pacem à Iohanne exprimi, illudq; in consortium honoris ac cultus divini referri: cum enim Modus is, vel tale Medium extra essentiam divinam foras ad creaturas progrediens, ac Deo ministrans, ex mente adversariorum statuatur; utiq; invocationis, ac cultus juxta præscriptum primæ tabulæ objectum esse nequit citra Idolatriam : sam verò septem Spiritus h. l. sunt objectum cultus divini ac invocationis juxta præscriptum primæ Tabulæ ; quia & què & spiritibus, ac Deo Patri, & Filio honor ejus eiusmodi exhibetur, cādem repetitā & retentā appreciations formulā. Ergò per spiritus & modus aliquis, vel medium aliquod extra divinam essentiam foras progrediens, ac Deo ministrans intelligi nequit. Ad 2. ubi initio notandum, hanc Photinianam sententiam parùm differre à præcedenti Riveti, præter id unicum, quod hic per spiritus & intelligat Deum Filium: Photiniani verò ipsum Deum Patrem;

Pro-

Proinde eadem responiones contra Photinianam interpretationem militare poterunt, quas ad Riveti opinionem reposuimus, falsumq; esse concludim<sup>9</sup>, per spiritus 7. intelligi debere ipsum Deum Patrem: Edifferant ad hæc ubinam mentione Spiritum 7. Deus Pater veniat in scripturā? quam Perduelles Christi subindē ad ravim crepant; & quænam quæso hujus torturæ & permutationis necessitas? Ad 3. falsum est, votum Apostolicum *impropriè* referri ad Spiritus illos 7. destructâ illâ Photinianâ hypothesis, ac evicto, per Spiritus hos 7. non modum, vel quoddam medium extra conscientiam divinam foras ad creaturas progrediens, in ijsq; terminum sortiens, innui; sed objectum cultus & honoris divini juxta præscriptum primæ tabulæ genuinum: quod autem hoc pacto comparatum; ad illud non *impropriè*, sed *propriissimè* votum & invocatio dirigitur. Id quod evincit formula appreciationis invariata, ac non solùm ad *Deum Patrem*, & *Filiū Dei*; sed etiam ad *Spiritus* 7. directa.

Remoris: itaq; alienis & peregrinis opinionib<sup>9</sup>, ac interpretationibus: restat ut genuinum sensum adsignemus.

Octavo igitur loco, per Spiritus 7. intelligitur *Spiritus S. persona*, septemplici munere insignita: ubi septenarius non præcisè pro numero certo accipiendus; sed ex usu linguae S. pro multitudine & varietate. Sententia hæc orthodoxa sequentibus statuminatur fundamentis: 1. Desumitur à propria Tertia Deitatis persona Nomenclaturâ, quâ singulari modo *Spiritus* vocatur *Marc.* c. 1. v. 10. *Ioh.* c. 1. v. 32. 33. *Apoc.* 2. v. 7. 17. c. 3. v. 6. 13. 22. & adjecto Epitheto *Spiritus Sanctus* *Psal.* 51. v. 13. *Esa.* 64. v. 11. *Matth.* c. 28. 19. *Ioh.* c. 20. v. 22. *Luc.* 3 v. 16. 22. *Act.* 2. v. 3. c. 5. v. 3. 1. *Ioh.* c. 5. v. 7. *Iude.* v. 20. quo patet à reliquis Deitatis personis distinguitur, & h. l. mentione *Spiritus* 7. exprimitur per Metonymiam *Effecti pro causa*, sumtoq; munero certo pro incerto, ad exprimenda varia *Spiritus S. dona*, quæ Ecclesiæ confert, ijsq; eam ornat, confer *Esa.* 11. v. 2. 3. *Sap.* c. 7. v. 22. 2. Dicitur ab adorationis, & invocationis cultu, juxta præscriptum primæ tabulæ, qui non nisi vero Deo, adeoq; personæ verè divinæ competit: Jam



verò Spiritus S. mentione Spirituum 7. indigetatus à Iohanne invocatur & adoratur cultu juxta præscriptum primæ tabulæ vero Deo competente: Ergò Spiritus S. mentione Spirituum 7. indigetatus erit verus Deus adeoq; persona verè divina. 3. Quia dicuntur Spiritus hi 7. esse in conspectu Throni Dei, scilicet Patris, quibus verbis innuitur identitas essentiæ & Majestatis verè divinæ Spiritus S. cum Deo Patre, ideo c. 5. v. 6. haberi dicuntur ab Agno in Medio Throni, & simul exprimitur differentia personalis inter Patrem, & Spiritum S. Nihil enim realiter sine ullo respectu proorsus idem, dici potest esse in conspectu alterius: ut quidem Spiritus S. à septemplici munere denominatus, in conspectu Throni Dei Patris esse dicitur. 4. Quia B. Iohannes explicat in sequentibus quinam sint illi spiritus 7. eosq; postmodum ad unitatem redigit Apoc. 2. v. 7. 17. c. 3. v. 6. 13. 22. c. 22. v. 17. Qui habet aures ad audiendum, audiat, quid spiritus dicat Ecclesiis: ubi peculiare officium ac opus Spiritui. 5. apud Ecclesiam adscribitur sc. in docendo, instruendo, illuminando, convertendo & donis variis exornando consistens: ubi præcipue notandum, quod non aliis hic sit Spiritus, ac à quo B. Apostolus suprà in Exordio c. 1. v. 4. Gratiam & Pacem Ecclesiis appre cabatur. Unde argumentum: Spiritus Ecclesias docens, instruens, convertens illuminans, donis suis exornans est persona ordine Tertia in Deitate subsistens: uti in confessio apud omnes Christianos: crepitum enim Diaboli, Semi-Judeos & Paganos-Photinianos, hac in parte non curamus. Nam verò 7. Spiritus c. 1. v. 4. sunt ille ipse spiritus docens, instruens, convertens, illuminans ac donis exornans Ecclesias l. d. adeoq; realiter conferens, id quod voto suo B. Iohann: eum solicitabat. E. Spiritus 7. c. 1. v. 4. sunt persona ordine Tertia in Deitate subsistens. 5. Quia c. 4. v. 5. Spiritus hi 7. dicuntur ἐκπορεύεσθαι procedere à sedente in Throno h. c. à Patre, quo ipso innuitur character hypostaticus processionis & spirationis Spiritus S. à Patre. tric

197

B




tre Ioh. c. 15. v. 26. per quem Spiritus S. ceutertia perso-  
nadvina constituitur, & à Patre. Filiq; distinguitur : ubi  
Filius Dei ab actu spirandi Spiritum S. non excluditur, sed  
simul includitur : ideoq; de ipso dicit B. Johannes, quod  
habeat 7. *Spiritus Dei Apoc. c. 3. v. 1. c. 5. v. 6. Conf. Apoc. 22.*  
*v. 1. ubi Spiritus S. ceu flumen procedere dicetur de Throno*  
*Dei ( Patris ) & Agni, ex Daniel c. 7. v. 10. 6. Accedit em-  
phaticare repetitio voti hujus Apostolici ad septem Spiritus di-  
recti, in textu Syriaco edit. Lugdunens: Bat. ex M. S. Joseph.  
Scalig. auctore Ludovico de Dieu. A. 1627. Ubi bis incul-  
cantur verba & à septem spiritibus &c: & quamvis hanc re-  
petitionem ceu superfluam statuit auctor ille in Notis, ac pro-  
inde in suâ editione iterationem verborum omisit : non ve-  
ritasim tamen videtur sine causâ repetita eadem esse ver-  
ba in textu ; sed ob *emphasim insignem*, ac differentiam in nu-  
endam inter Spiritus alios creatos, & huncce *septiformem in*  
*creatum. 7. Atq; sic nobiscum de Spiritus S. personâ septi-*  
*formi munere, ac dono insigni, votum hocce interpretati*  
*sunt ex Patribus Justinus Martyr parænesi ad Græcos, Ans-*  
*helm. explicante Ludov. ab Alcas. Ambros. Ansbert. in Glossa*  
*ordinar. Rupertus Tuicinens. &c. ex Pontificis. Ambros. Ca-*  
*tharin. super Epistol. Rom. fol. 1. ubi sic scribit : Spiritus S.*  
*hoc septenario Numero, propter illius septem dona distincta signi-*  
*ficatur. Georg. VVicel: in postill. d. Sanct. part. 2. Ex Calvi-*  
*nianis. Johann: Luidius Oxoniens: Angl. in suis ad Bezam li-*  
*teris ubi 5. argumenta urget pro hac sententia, quæ ipsa*  
*tanti ponderis agnovit Beza, ut nis refragari non potuerit,*  
*ac proinde priorem sententiam deserere coactus sit in Notis*  
*minorb. supra Apoc: c. 1. v. 4. Amand. Polan. Syntagm: lib. 2.*  
*c. 35. fol. 197. &. lib. 3. c. 6. fol. 218. F. Benedict. Aret. supra*  
*hunc. loc. G. Pignetius, S. Mayer. A. Marloratus in commentar:*  
*super h. l. Guilhelm. Bucan. Inst. l. 3. c. 7. Loc. 6. &c. 31. &c.*  
*Atq; ita pro tempore de voto Iohanneo ad Spiritum S. in Ex-*  
*ordio Apocalyps. directo, pro capitu programmatiis differ-**



visse sufficiat ; uberiorem de *Spiritus S. personâ*, & officio  
doctrinam sacrâ Homiliae proponunt, ad quas Cives Academicoz remittimus, eosq; paternè hortamus, ut diligenter  
verbi Dei auscultatione, assiduis precibus virtù professeione  
Evangelij dignâ, Templum Spiritui S. in cordibus suis præ-  
parent, frondibus Christianarum virtutum exornent, o-  
mnisq; generis vitia & peccata vitent, quibus ceu sordibus  
Spiritus S. hospitium inquinatur, ipseq; hospes cœlestis do-  
micilium suum deserere cogitur : abstineant cum primis à  
crapulâ, ab ebrietate, commissationibus, compotationibus;  
*Mysterio iniquitatis*: quod male fertati in juniores exactio-  
nibus intolerabilibus, occulte exercere solent ; sint dediti  
temperantie, castitati, sobrietati, ac pietati. Terra enim car-  
nis nostraræ, nisi absurdus fuerit subiecta culturæ, citò de segni Ocio  
spinas, tribulosq; producit, & partu degeneri, dabit fructum non  
Horreis inferendum, sed ignibus cremandum : Custodienda  
gitur nobis omnium germinum seminumq; generositas,  
quam ex summi agricolaræ plantatione virtute Spiritus S.  
concepimus, & vigilis solicitudine providendum, ne Dei mu-  
nera aliqua invidentiis inimici fraude violentur, & in Paradiso  
virtutum concrecat sylva vitiorum ; uti piè monet Leo Serm.  
4. d. Pentecostal. Fejuniø 10. c. 3 fol. 856. Bibl. Patr. Tom. V.  
part. 2. Hora amitiam atque etiam ut Deum omnis boni &  
doni fontem, in Spiritu & veritate precibus ardentibus  
conveniant, ut Serenissimo ac Invictissimo Regi Polon. & Sue-  
via VLADISLAO IV. Regi, ac Domino nostro clementissi-  
mo; Serenissimo item, ac Potentissimo Electori Brandenburgico.  
Domino ac Nutritio nostro munificentissimo, ex altis bene-  
dicere, longævitatem, prosperâ valetudine, felici in Regimi-  
ne successu, affulgere ; nobisq; almam pacem, quæ in orbe  
ubivis exulat, largiri dignetur. Imbue tu Spiritus alme cha-  
rismate tuo septiformi, Cor Regium, & animos Inclitorum De-  
putatorum ac Delegatorum, ut unicè pacem meditentur, ea que ad  
pacem Hierusalem sunt, querant, lauantur, urgeant, desiderent,  
& opere



& opere ipso ad impleant: per & propter Pacis principem, Sop-  
tatem, Intercessorem nostrum, & Mediatorem Dei & Homi-  
num unicum C. I. cum quo, & Deo Patre, tibi sit laus, honor &  
gloria in secula æviterna. Amen?



IN MIRACULOSÆ PENTECOSTES  
SOLEMNITATEM.

A More cuncti ducimur scientia,  
Miracula quando prominent,  
Aut rariora facta nosmet detinent,  
Non visa Patrum seculis.  
Et qui supernis non reficeremur sonis,  
Cum non amet mens ocia:  
Inusitata fata pandit SP̄IRITVS  
JEHOVAH dives gratiā.  
Idcirco patulis hauriamus auribus  
Nostræ saluis dogmata.  
Ignara gens ne simus, instar ethnica  
Cohortis, & malè conscientia.  
Flatus Triados altissima nunc deteget  
Decreta longi temporis,  
Et nos in omnem veritatis tramitem  
Potente ducet nomine.  
Docere namq; novit omnium optimè.  
Quæ scire refert maximè.  
Nam solus ille recta claustris perspicit,  
Solis remotæ à lumine.

AB-

Abstrusa fati cernit & conamina  
Per sempiterna tempora.  
Quot vasta numero guttulas dent aquora,  
Atomosq; arenae littora,  
Scrutator hicce colligit dexterrime,  
Erroris absq; flexibus.  
Nam sicut alto Phœbus axe lumina  
Deflectit ad res infimas,  
Et cuncta radijs lustrat ardentiſſimis  
Objecta fluidas per vias:  
Sic luce claræ permeat recondita  
Flamen sub astris mystica.  
Nec hostis instar invidet, qua posteris  
Futura nova commoda.  
Sed sponte præsens est piorum cœtui  
Cœli rimenii Numinia.  
Splendentis aethra quolibet sub sidere,  
Vbi fœta tellus parturit.  
Idola removet in furore subdola,  
Queis nullus usus aurium,  
Queis plectra lingue non sonant per ærem,  
Nec ulla cernunt lumina.  
Sunt vana dextra marmorisq; robora,  
Pedibusq; motus nullibi.  
Contra polorum conditorem prædicat,  
Illi⁹ & potentiam,  
Quâ monium fumare cogit vertices,  
Quoties minatur stipite.

Huit

Hunc esse solum dicitat verum Deum,  
Deos regere nec plurimos:  
Divinitatis ac simul Triadem docet,  
Quae digna crebris victimis.  
Parensq; summo primus est in ordine,  
Cui Genius adstat unicus.  
Ab hisq; procedens sacrum Spiraculum,  
Eiusdem honoris est capax,  
Et prona memorat cælum commercia,  
Cum casus asper imminet.  
Christi triumphum, plurimo qui sanguine  
Est partus, amplum concinit,  
Et regna Superum nunc aperta homunculis,  
Quos dirus anguis læserat.  
Et hoc per oras universas largiter  
Disseminari præcipit,  
Ne quis salutis negligenter orbitæ  
Pericla vita præferat.  
Vbi laude non satis licebit prosequi  
Signum favoris maximum.  
Non una vox est disfisiis tot gentibus  
Sub Solis alto tramite,  
Miraculosus inde raptus proditur,  
Linguæ patescunt ignea,  
Et celsa varij dona prendunt incolæ,  
Idiomæ vocis dum sonat,  
Quod cuiq; formârunt Lares sub altero  
Cœli calentes fornice.

*Animos*




*Animos tremor metusq; turbat plurimus,  
Dum causa manet incognita.  
Hac illa perquam rara sunt miracula,  
Quæ nostra tangunt pectora,  
Rerumq; variarum ferunt scientiam,  
Viamq; cœli detegunt.  
Hic nemo sese prodat, & ceu nescius  
Impunè spernat gratiam.  
Quæ sola rictus inquieti Cerberi,  
Orciq; fauces obstruit,  
O ter, quaterq; cautus ille, qui sacri  
Sermone gaudet Flaminis,  
Et recta cultui dicata Numinis  
Flexo frequenter poplite.  
Immixtus ille cœlum choro, Dei  
Laudes sonabit perpetim.*

M- Christophorus Eilardus  
P. P.

Anno 1635.







Aug. VI 18




3

5b.

Petrie  
VÖ 17

Z





- Elenchus tractationum hoc volumen: comprehensorum.
1. BECCERI analysis Psalmi secundi.
  2. GESNERI contra primatum Romanii Pontificis.
  3. STUTTEREI Theorumata tria ex Jobann: l. 29.
  4. FÖRSTERI medulla capit: ss. Epist:
  5. Ejusd: Dissertationes V. in c. ss. Epist:
  6. WINCKELM: Disp: ex Jobann: III. 16.
  7. Ejusd: Disp: ex Ierem: 23. 3. 4. 5. 6. 7. 8.
  8. MAJORIS <sup>πεποιησθωτος</sup> oraculi Apostolici l. Jobann: 1. 7.
  9. THUMRII <sup>εγινετος</sup> dicti Paulini Coloss: 2. 9.
  10. FÖRREYSENII Disp: de 7 Verbis Christi nosissimis. Autov. Danckwerus.
  11. SCHMIDT <sup>εγινετος</sup> dicti Evangelia Lico: XI. 24.
  12. Ejusd: de peccatori Confess: poenitentiali ex Epob: 24. 13.
  13. BERGII de loco Proph: II X. 22 - 31.
  14. HÖTTNERI de primigenia hominis conditione, ex Gen: l. 26. 27.
  15. WILHELM: LYSERI Sicut episcopis oraculi Iher: l. 29.
  16. Ejusd: Explicatio Ps. 19. 1. 2. 3.
  17. Quis d: de Anti-Christo ex 2. Thessal: 2.
  18. BULATI <sup>εγινετος</sup> dicti Hof: XIII. 9.
  19. HÜLSSEMANII merita ad dictum Rom: IV. 25.
  20. LANGII protoevangelium, Genes: 3. 15.
  21. Ejusd: Jesus typicalis in sacrificiis veteris aetatis.
  22. MARTINI assertio theologic: decurie ad locum Ierem: XXXI. 31 - 34.
  23. HENRICI mysteriorum economiae ex dicto ad Colos: 2. 9.
  24. CUNDISII exercitati: theol: ex Epist: 49. 22. 23.
  25. Ziegria expeditio Psalmi 121.
  26. LANGE septem verba Christi.
  27. KUKADEI Disp: ex 1. Tim: 3. 16.
  28. Ejusd: de Confessione dominis ab infidelitate ad fidem.
  29. GERHARDI Cyrus.
  30. OLEARII lamen gentilium Luc. II. Decretalium.
  31. 32. Gramma ex Gen: 49. 11. 12. Aliud ex Apocal: 1. 4.
  33. LILLI Philologia in Epis: 1. 4.
  34. BOSSI Eranichian anathematice defensio, Galat: 1. 6. 7. 8. 9.
  35. ALBERTI magnificencia divina, Joel: 2. 28. 29.
  36. NIEMANNI de Christi deuelisti querela, Matth: 27. 46.
  37. THICONII Disp: ex 1. Corinti: 2. 14. 15.
  38. MECKE XII Exercit: Theolog: ad Rom: II X. 31. 32.

Vulg VI 18

VD 17

Z



# Farbkarte #13

B.I.G.

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Inches  
Centimetres

8  
7  
6  
5  
4  
3  
2  
1  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19

32.  
hh)  
PEN.  
egegrinis,  
piritibus  
.ITVS  
UACA.  
NÆ  
V.  
ebadij.